



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Oscula, tactus, turpilequium, & aspectus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**



## Oscula, tactus, turpiloquium, &amp; aspectus.

Vide v. *Matrimoniam*.

1. Oscula & amplexus licite fiunt, quando fiunt causa amicitiae secundum consuetudinem patriæ. Imò delectatio ex ipsis sequens non est illicita, modo non sit periculum consensu: in motus sensualitatis inde consurgentes. Unde qui osculatur consanguineam animo fruendi delectatione venerea, peccat mortaliter peccato incestus. Dicendum ergo, oscula, tactus & amplexus qui fiunt causa delectationis sensus quæ percipitur in ipsis, esse peccatum mortale, nisi fiant inter conjuges, in iis enim excusantur, modo non adsit periculum pollutionis extra vas. Similiter sunt illiciti si fiant inter eos qui non sunt sponsi. Imò illicitum est tangere propria pudenda cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis: secus dicendum si adsit iusta causa, ut v. g. medendi, nam tunc licitum est tangere non solum propria, sed & aliorum.

tom 1. *De iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, quæst 4. punct. 9. n. 1 & seq.*

2. Femina mortaliter peccat, quando adnuit se ab alio libidine tangi, & se non retrahit, vel non impedit contactum.

*Ibid. num 10.*

3. Levis tactus manuum, vel pedum feminae, aut vellicatio aut digitorum intorsio non videtur facile excusandus à peccato, cum hæc materia sit valde periculosa & lubrica. *Ibid n. 11*

4. Aspectus feminae vel aliarum personarum ob curiositatem pulchritudinis, non est peccatum mortale, etsi fiat propter delectationem, modo non adsit periculum luxuræ. *Ibid. n. 13.*

5. Cernere concubitum in viri cum femina, etiam si fiat ex sola curiositate, est peccatum mortale. *Ibid. num. 14.*

6. Circumstantia personæ, circa quam habita fuit delectatio moralis in aspiciendo, appetenda est in confessione; est enim ejusdem malitiæ cuius esset actus consummatus. *Ibid n. 16.*

7. Graviter peccat puella, quæ data opera se præbet conspiciendam adolescenti, à quo se credit turpiter concupiscendam. *Ibid. num. 17.*

8. Turpiloquium si fiat animo oblectandi se rebus ipsis turpibus narratis & objectis imaginationi, est peccatum mortale, & veniale tantum, si fiat absque alia prava intentione, & absque venereo affectu. *Ibid. num. 18.*

9. la-



9. Interesse comœdiis turpia repræsentantibus est peccatum mortale, si ex rebus turpibus narratis capiatur delectatio aut immineat periculum delectationis. Et clerici assistentes comœdiis secluso scandalo vel alio peccato, non peccant quidem mortaliter, est tamen illis prohibitum interesse, *c. clericus 2 de vita & honestate cleric. Ib. n. 21. & 22.*

10. Componentes & repræsentantes comœdias continentibus res valdè turpes & libidinosas, peccant mortaliter, quod dant causam ruinæ proximi, quamvis illam non intendant. *Ibid. n. 23.*

11. Choreæ ex se non sunt illicitæ, nisi illicitæ reddantur aliqua circumstantia peccaminosa. *Ibid. num. 24.*

12. Fucans faciem etiam absque rationabili causa, non peccat mortaliter, nisi hoc faciat ex fine moraliter malo. Eodem dicendum de utente alienis capillis, aut vestibus pretiosis, &c. *Ibid. n. 26.*

#### A D D I T I O.

Quæres, an oscula, tactus, amplexus, choreæ, aspectus minarum, secundum se sint peccata. Resp. 1. secundum se esse peccata, quia sæpè sunt symbola charitatis, pacis, benevolentia, non solum secundum mores quarundam nationum ac gentium, ut in Belgio, sed etiam secundum usum Ecclesie Romanæ, in mysteriis sacris, & primorum Christianorum, ut liquet ex epist. Pauli. Unde sequitur, nec delectationes, quæ huiusmodi actus honestos sequuntur, esse illicitas. Resp. 2. si idem actus tantum existant in delectatione quæ sensu percipitur, tangendo, osculando, &c. sine ullo alio fine, non committi aliquod peccatum, nisi forte veniale quando plus acquæritur illa delectatio carnalis.

Resp. 3. Eosdem actus multis modis posse fieri peccata mortalia; primus est, si exercentur ad excitandam pollutionem nocturnam; 2. si ad excitandam copulam carnalem illicitam; 3. si ad oblectandum se formaliter in copulatione, vel pollutione illicita, etiam cogitatu tantum. 4. Si usurpentur quoties probabile est periculum consentiendi libidini. 5. Si fiant in corporis partibus, quas natura contextit, & si litteræ, vel munuscula amatoria mittantur, vel si choreæ instituantur, ad excitandum turpem amorem. Busæus.

Quæres: quid faciendum cum his, qui in fornicatione



carpes contactus, &c. sæpius recidunt, eo quod domi occasio-  
nes habeant, an tales absolvi possint, antequam peccati occa-  
sio sit remota.

Resp. Si occasiones illæ sunt veniales, ut quarundam cho-  
tearum, colloquiorum vanorum, & amplexuum, posse eos  
absolvi semper, et si non proponatur in posterum cavere illas  
occasiones.

Resp. 2. Si occasiones illæ peccandi sunt moraliter remo-  
ta, & generales tantum, posse etiam eos absolvi, antequam  
peccandi occasio amoveatur, modo duo observent.

1. Doleant de lapsu, 2. proponant firmiter, cum occasio se  
obtulerit non consenturos. Resp. 3. si occasiones peccandi  
moraliter sunt proximæ & tolli posse videantur sine scanda-  
lo, infamia, & magno incommodo, non posse dari absolutio-  
nem; si verò aliquo modo possint tolli post 3. vel 4. impartitã  
absolutionem, deinceps absolutione esse differendam, donec  
ocasio ablata sit; si verò occasiones illæ nullo modo tolli  
posse videantur, posse quidem absolvi, si adsint duæ conditio-  
nes allatæ id deinceps tollendi. Deinde aliquando sociis cri-  
minis dicant sibi negandam absolutionem; nisi abstineant.  
Syl. l. 3. man. Rufæus.

P!

Pallium.

Pallio, quo significatur plenitudo officii Pontificalis, utitur  
Archiepiscopus, in Missa solemni, in provincia, non autem  
extra Ecclesiam, ut in processionibus, aut aliis, nec id potest  
alteri commodare. Syl. v. pallium c. pallium d. 100.

Antequam pallium accipiat, non debet ordinare, aut con-  
secrare, nec Ecclesiam dedicare, nec concilium vocare, Syl. l. 6.  
vid. Cucum. l. 1. Inst. canon.

Debet cum eo sepeliri, Syl. l. 6.

ADDITIO.

Papa.

Nulla excommunicatio aut censura impedit Papæ electio-  
nem, Ex Pio V.

Ii

Tra-